

1288 Mai 30.

[63

Matthaeus von Nienborg bekundet seine Abgabenverpflichtung an das Kloster
Barlar. 122

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, amen. Ego Mattheus de Novo
Castro omnibus praesentia visuris notum esse cupio, quod conventus ecclesiae
Varlarensis habebit annuatim pro memoria et anniversario fratris mei domini
Ottonis piae memoriae perpetuo facienda ex curte mea Suttentrode de pensione
mea, quae mihi vel meis haeredibus ex ea cedit, XVIII modios siliginis et
XVIII modios hordei mensurae Cosveldensis, quos provisor dictae curtis
quolibet anno in crastino sancti Martini tempore hyemali sine protractione
ipsorum nuncio praesentabit, quousque ego vel meus haeres, si quis fuit, dicto
conventui demus quinque marcas Monasteriensis monetae ad comparandum
redditus annuales, quos saepedictus conventus habebit in anniversario fratris
mei supradicti perpetuo inibi faciundo; his quinque marcis datis dicta curtis
ab huiusmodi pensione libera et quita permanebit. In cuius rei testimonium
praesentem litteram ipsi conventui tradidi sigilli mei et sigilli castrensis
Novi Castri, quod apponi procuravi, munimine roboratam. Acta sunt haec
anno Domini M^oCC^oLXXX octavo, in octava Trinitatis. Praeterea fide-
jusserunt Wilhelmus de Bilrebeke et Theodorus, filius domini Svtheri militis
de Bocolo, famuli.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 51/52.